

05

A

717



S

H

B



IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS GE-
neratim consideratis

DISPUTATIO X.

De

HÆRETICISMO

sive HÆRETICIS IN

GENERE.

Quam

ALTISSIMO ADSPIRANTE

sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Th. Doct. & Profess. publ.

Publico Examine proponit

MATTHIAS RELANDT

Rigà-Livonos.

Ad diem 7. Dec. horis pomeridianis,

In Auditorio minori.

§§§§§

WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M DC XXV.

VIRIS
MAGNIFICO, NOBILISSIMIS,
CONSULTISSIMIS,

Dn. HENRICO ab ULENBROCK { Reipub. } Consuli Amplifs. Dignifs.
 Dn. NICOLAO BARNECKEN { Rigen. } Prætori Gravifs. Æquifs.
 Dn. JOHANNI BENCKENDORF { fis } Senatori Prudentifs. Meritifs.
 Dnn. Mœcenatib. Affinib. ac Promotoribus suis æternum
 Honorandis, colendis

UT ET
REVERENDIS, CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS,

Dn. RUBERTO NEINERN { Ecclesia } Pastori } ad D. Mariæ Vigilantissimis, Fidelissimis.
 Dn. JOHANNI de GRAVEN { ibidem } Diacono }
 Dnn. Affini, Fautoribus ac Amicis suis reverenter Honorandis,

NEC NON

VIRIS SPECTATISSIMIS, INTEGERRIMIS & HONESTIS	MUSARUM CULTORIBUS PRÆSTANTISSIMIS CLARISSIMIS DO.
---	--

Dn. CASPARO HOLLERO { Collegij } Dn. PETRO HANFELTIO { apud eosdē } Dn. MARCO WIBERO { Majoris } { Senioribus } Dnn. Cognatis, Amicis, ac Fautoribus suis perpetuâ observantiâ Colendis, prosequendis.	Dn. M. JOHANNI ELERO, Amplifs. Facult. Philos. Witteb. Adjuncto Meritissimo. Dn. M. HERBERTO ULRICI S.S. Th. Studio. Dnn. Præceptori, ac Amicis suis singulariter dilectis & summè Respiciendis.
--	---

*Hoc exercitium Theologicum in debite gratitudinis
ac Observantiæ signum*

offert

Auth. & Resp.

05 A 717





מַעֲנוֹת שְׁלוֹמְךָ



N libro Apocalypseas, VIRI, MAGNIFICE, AM-
PLISSIMI, REVERENDI, SPECTATISSIMI,
CLARISSIMI, qui *haereticorum novissimi seculi*,
vivis coloribus depingatur facies, nullus est, in dubium qui
vocare ausit. Videt enim Theologus cap. 9. stellam de caelo
cadentem, cui putei abyssi data clavis, quo aperto, fu-
mus adeo exiit horribilis, ut sol, totusq; aer eodem obscu-
raretur, &c. Licet autem non desint, qui haeresin tum Papi-
sticam, tum Calvinisticam, quin & Arrii blasphemiam,
oculis hac visione subijci, eruditè demonstrant: nemo tamen,
credo, dicam scribet, si ad haereticos in genere, eandem ap-
plicemus. Quid enim vel Papismus vel Calvinismus nisi ha-
resen colluvies? Stellam de caelo cadentem vidit Johan-
per quam crasse nimis glossa Tremell-Junian. ipsum intelli-
git Christum. Ecclesiae potius Doctor, (slylo scriptura so-
lenni & in hoc ipso libro c. 8.) significatur, qui de caelo cadens
sanioris & caelestis veritatis tramite relicto, avia quærit,
eaq; ab Evangelij luce ad terrenas humanarum opinionum ab-
ducentia tenebras. Hi sunt quibus clavis est infernalis abyssi,
quâ aperta, nil nisi crassissima pestiferi prorumpit fumi ne-
bula, quæ & ipsum justitiæ Solem Christum, veramq; de
illo doctrinam tantopere obtegit, ut erosus per eundem fidei
oculis, nil nisi Cymmeria undiquaq; tenebra manibus velut
palpenur. Quæso enim contemmini mecum hodiernam
Ecclesiae faciem, si forsan præteriti temporis, respicere memori-
am nolitis. Arrium enim non attendemus, cujus fumo tota
ferè Asia olim in tenebras conjecta. Saltem posteros ejus Near-
rianos, Photinianos, inquam, juratos illos adoranda Trini-

...
tis tenebris totam fidei obscurent arcem, accuratius considera-
re. Weigeliani, quos non fumos vendunt, que non jactitant
insomnia? Mireris justitiæ solem Christum judicem illum
vivorum & mortuorum, tantas adventu suo tandem non
dispellere tenebras. Calviniani cujus non hæreseos Patroni?
Antichristus ut olim è tenebris Babylonicis ereptos, in eas-
dem rursus præcipites det, quem non movit lapidem? Proinde
cum hæreticorum ea sit indoles, ut fumo infernali tot men-
tes obcæcent, tot enecent animas inq̃, tenebras exteriores præ-
cipitent. non exigui fructus laborem me suscepturum duxi, sed
disputatione hac HÆRETICISMUM IN GENERE exacti-
us paulò introspicerem. Eam autem sub vestris nominibus
VIRI MAGNIFICE, &c. in lucem prodire volui, non quasi
res novas vobisq̃, inauditas oculis auribusq̃, vestris me obla-
turum sperem, sed ut gratitudinis, observantiæ, honoris, &
amoris mei erga vos publicum extet testimonium. Nullus er-
go dubito, quin levidense hoc munus, quod ori potius rubo-
rem & menti verecundiam debere videtur, æquis suis acce-
pturi animis. Neq̃, enim & diis ipsis

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Proinde id ipsum VESTRIS MAGNIF. AMPLIT. REV.
SPECT. & PRÆST. submisit offerro, DEUM rogans, ut rei-
publicæ, Ecclesiæ & literis ipsis diu velit esse superstites, ac
sub clientela & favore vestro, ut hæctenus, ita porro militari
pergam. Quod dum facio, ut mihi benevolentia vestra Sol-
neutiquam frustra illuxerit, sedulo annitar. Dabam Witteb.
d. 7. Dec. An. 625.

V.V. Magnif. Amplitud. Rev Spect. & Clar.
Observantissimus,

MATTHIAS RELANDT
S.S. Tb. Stud.

I N
 NOMINE S.S. TRINITATIS,
 DISPUTATIO DECIMA
 De
 HÆRETICISMO sive HÆRETICIS
 I N G E N E R E.

Proæmium.



Portet hæreses esse inter vos, ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis, enuntiatur est Pauli I. Cor. II. v. 19. Operæ quasi pretiū nos facturos puto, cum ad hæreses ordo propositus nos trahat, si tum hæresin, tum hæreticos paulò exactius consideremus. Ne autem tædiosa præfatione lectorem detineamus, rem ipsam aggrediemur, & ea, quæ dicturi sumus, theorematibus certis adstringemus: cumq; à verborum intelligentiæ rerum dependeat cognitio, docente Platone in Cratylo; & verba eorum quæ concipiuntur animo, sint symbola, originem vocis ejusdemq; descriptionem præmittemus. Post ea, quæ præterea hic consideranda venient, & pro ratione instituti, proq; tenuitate ingenij adduci poterint, adducemus, subjiciemus. Sit ergo bono cum DEO.

Proæmium.

THEOREMA I.

Vocabula Hæresis & Hæreticus origine græca, non latina sunt.

Theorem. 1.

Ἀἵρεσις est vocabulum origine & derivatione græcum, cui respondet latinum, ut videre est apud Lexicographos. Fluit autem à verbo αἰρέω vel αἰρῆμα, quod idem notat ac Eligo, Seligo Tertull. lib. de præscript. c. 6 Hieronymus in cap. 5. Epist. Pauli ad Gal scribit: Hæresis græce dicitur ab electione, quod scilicet eam unusquisq; sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quidam autem ex Pontificiis hæresin ducunt ab Erro, & Hæreticum à Recto & Erro, Pontificiis

Etymologia vocum est græca, non latina, ut quidam ex Pontificiis quasi volunt.

quasi errantem a recto. Quidam ab Herem, heres, quod nimirum hæretici inhæreant suæ opinioni. Quidam à vocabulo Heremo, sicut Heremita dicitur ab heremo; quia ut heremita separatus stat in nemore à civitate, ita hæreticus separatus dicitur à nostra fide. Sed perperam & falsò, quia à nativa significatione (si quæ potest haberi) nequaquam est discedendum, Dulcius enim ex ipso fonte bibuntur aquæ. Ad stipulamur ergo Tertull. & Hieronymo, quorum hic, ad fontes græcæ linguæ (ut in tota sua interpretatione biblica, sic etiam d. l. Gal. 5.) maximè respexit.

Porro tria notanda

Notabis autem tria 1. *Synonymiam*. 2. *Homonymiam*. 3. *Varium usum* sive *Respectum*.

1. *Synonymia* (1. Hebr.)
Synonyma dantur 1. *Hebraica*. Hebræi enim hæreticum vocant שקר mendacem, scurram, sicut 2. Pet. 3. v. 3. dicuntur ἐμπαιστῶν & Psal. 1. v. 1. לְצַיִם irrisores. Iudæi שֵׁדִים item (& quidem usitatus) כּוֹפֵן בְּעַקֵּר q. d. *abnegans fundamentum*, quam appellationem etiam Targum in versione Psal. 12 retinuit.

2. *Latin.*

2. *Latinum*. Latinis hæreticos *Sectam* nominare placuit, ut patet Act. 26. v. 5. & 2. Pet. 2. v. 1. *Sectam* autem Isidorus dici vult à *Sequendo*, unde & frequentativum verbum est *Sector*. Sed Clariss. D. Dan. Cramero arridet *Sectam* dici à *Secando*, quasi *Sectæ* sint *secti*, separati & divisi, tum inter se, tum à veritatis tramite, in *heres. sua cap. 1. pag. mihi 2.* Thomas *Sectam* & *heresin* vult esse unum & idem; sed differentiam interponi satius est, ut à se invicem ut *genus* & *species* distinguantur, *Secta* est *Genus*, quod Judæos, Paganos, Turcas, Gentiles, Christianos, &c. sub se comprehendat. *Hæresis* autem *species*, quæ solos Christianos respicit, quæ quidè aliquam fidei opinionem habent, sed violatam, corruptam & depravatam, sicq; in utramq; partem bonam & malam accipitur.

3. *German.*

Cathari

qui & unde dicti vide

Dan. Cram.

class. 2. hæres. p. 113.

2. *Homonymia*.

3. *Germanicum*. Germani hæreticum vocant Ein Ketzer/ vel à Catharis, quorum sequuntur Hypocrisin: vel ab Hebr. צִבּוֹר *Spina*: Sicut enim spina nocet manui, collo, ita quoq; hæretici nocent animæ, cordi, Matth. 7. v. 16. vel ab Hebr. רָצַץ *laceravit*, *decurtavit*, &c. quia hæretici scripturas lacerant, truncant, mutilant, ut testatur *Apostolus Petrus* in *Epist. post cap. 3. v. 16.*

2. *Homonymia*. Accipitur vox *Hæretici* (1.) vel in significato proprio, ex vocis origine, vel alieno, ex usu proveniente. In priori est nomen

nomen honestum non odiosum, & differentiæ non ignominia aut macula loco impositum, ut distingueret, sententias varias, & diversas diversorum hominum opiniones. In posteriori est nomen inhonestum, ignominiosum, exuens significationem primam, & induens ex usu receptam.

(2.) *Vel Philosophicè vel Ecclesiasticè idq; in bonam vel malam partem.* In bonam, si illis detur, qui hujus vel illius Philosophi sententiam amplectuntur, tuentur. Vide ipsum *Aristotlib. 1. topic. cap. 9.* Et *orat. Gregorij Nazianzeni ad Eunom.* In malam autem sumitur, quando quis ex arbitratu proprio hoc vel illiud vitium sive peccatum appetit. Sic *Tertull. lib. 2. advers. Marc. cap. 2.* protoplastos nostros de hæretici accusat, dum inquit: *Quis dubitat illud ipsum Adæ delictum heresim prænunciare, quia præelectionem suæ non divinæ sententiæ admittit.* Sed latè admodum hæreticum sumit, non enim distinguit inter Schismaticum & Hæreticum, Adam à DEO recedens factus est Apostata non Hæreticus.

3. *Vox hereseos* sumitur *vel propriè vel impropriè.* Propriè propriis hæreticis hanc vel illam sententiam malitiosè & pertinaciter defendentibus, ut patet *Act. 28. 22.* Impropriè pro illis, qui eorum hæresim sequuntur, ut constat *Act. 5. v. 17.*

3. *Varius Usus.* Usus vocabulorum patet partim ex dictis, partim ex dicendis. Ex dictis, quod sumta sit vox hæretici 1. *vel in nativa significatione vel extra eam.* 2. *Philosophicè & Ecclesiasticè vel in partem bonam vel in partem malam* 3. *Quod vox hereseos accipiat vel propriè vel impropriè.* Nunc ex dicendis quoq; constabit usum vocabuli hæretici adhuc esse varium tam apud Philosophos, quam apud Theologos.

Apud Philosophos. Peripatetici Rameos hæreticos vocitant: *Gallenus* hæreticos dicit qui ex sola ἐμπειρία medentur, & non simul πειρᾷ καὶ λόγῳ utuntur *lib. 1. & 2. ad Glauco.* Et *Cic. in Paradoxis de Catone,* ait, quod sit perfectus Stoicus, & in illa heresi, quæ nullum orationis florem sequitur. Apud Theologos Pontificij, Calviniani, Photiniani, Lutheranos & contra hi illos hæreticos nominant.

Sed propriè loquendo, *usus* ejus tantum est *unicus,* nec hodie in bonam, sed tantum in malam partem sumitur; quandoquidem postquam homines magis magisque cœpere nova excogitare, antiquo-

Hæreticus enim sumitur vel in significatione proprio vel alieno.

Vel Philosophicè vel Ecclesiasticè In partem bonam. Malam.

Similiter vox hereseos sumitur vel Propriè vel Impropriè.

3. Varius usus sive Respectus.

Philosophicus.

Theologicus

Cū propriè loquendo tantum sit unicus.

tiq̄iora deſerere, accidit, ut altera ſignificatio fuerit abrogata, & poſterior ſolum retenta.

Objeſſio.
Reſponſio.

At Paulus Actor 24. v. 14. & c. 26 v. 5. vocabulum hoc indifferenter ponit, ut & alij hodie multi? Reſp. non quaeri hic quid fiat, ſed quid fieri debeat, cum abuſu vocabuli recepto non facile diſcedendum. Paulus vocabulum non vult eſſe indifferens, ſed ab alijs indifferenter duntaxat oſtendit uſurpatum. Alias enim Galat. 5. cap. v. 20. Hæreſin numerat inter opera carnis, & 1. Cor. 11. v. 19. in malam accipit partem, & ad Tit. 3. v. 10. hæreticos probatis opponit. Itaq; concludimus vocis ἑτεροδοξία hic generaliter ſignificare omne id, quod qui perverſe eligit vel credendam vel faciendum. Specialiter vero id, quod contra fidem. Unde doctrinam Chriſtianaæ fidei dicimus non poſſe vocari hæreſin, quia hæreſis eſt ſententia, quæ ſuſcipitur electione humana, at doctrina Chriſtianaæ fidei nō ſuſcipitur electione humanâ, ſed inſtinctu & gratia Dei, ut videre eſt cap. 6. Iohan. v. 44. & cap. 15. v. 16. Hæc de theorem. primo, ſequitur.

Præoccu-
patio.

THEOREMA II.

Theor. 2.

Hereticus eſt Persona in Eccleſia militantis gremio conſtituta, articulum aliquem fidei principalem aliter intelligens ac interpretans, quam ſenſus Spiritus ſancti vel ſtatuit vel admittit, idq; malitioſe, pertinaciter & non ſine aliquo Eccleſia offendiculo.

Definitio
juxta Au-
guſtinū in-
veniu diffi-
cilis.

Danda ta-
men.

Non falſa i.
Pontificiorū

Dare Definitionem difficile eſſe cum Auguſtino aſſerimus in præfat. lib. de hæreſ. & in Epift. ad Quod vult d. t. 6. f. 6. nihilominus tamen cum quædam danda ſit juffu methodi, placuit eam, quam ex verbo Dei habere poſſumus, brevibus afferre. Illa autem non eſt. i. Pontificiorum & Canonistarum qui ſtatuant Hæreticos eſſe, qui non in omnibus ac ſingulis Pape decretis acquieſcunt, ex quo ſequitur: omnes non obtemperantes legibus ac ſtatutis Romanaæ ſedis eſſe hæreticos. Neq; probamus illam: Qui contrariantur fidei Catholica, animo pertinaci eam inſequuntur, cum tamen fidem in baptiſmo ſint profeſſi, ut vult Gregorius de Valentia. Tiberius Decianus qui lib. 5. tract. crim. c. 27. referente Dn. Doct. Præſide part. 3. Philoſp. Sob. c. 7. q. 2. p. 570. aſſerit proprie

propter illam esse hereticos, qui aliter sentit de articulis fidei, quam
Romana Ecclesia. Eiusdem farinae sunt sequentes, hereticos scilicet esse:
qui biblia sacra legunt in linguam Germanicam transversa: qui feriâ se-
xtâ carnibus vescuntur: cum Papæ decreta non sint fidei principia,
sed ipsa ad aliud, ut scripturam sacram, tanquam normam, exa-
minanda.

Neque 2. illam Calvinistarum probamus: *Hereticus est inven-
tor & sectator pertinax in & à Concilio publicæ condemnatæ religionis,
quæ Catholica & Apostolica fidei contraria est.* Quis enim prius quem-
piam non dixerit Hæreticum, quam sit à Concilio damnatus? Vi-
deamus tamen quomodo eam stabiliant. Rationes producunt.

Quam pro-
bant.

1. *A potestate convocandi Concilia*, quæ fuerit penes Principes
in V. T. ut probant exemplo (1.) *Moyſis*. Exod. 19. v. 7. c. 35. v. 1. (2.)
Iosua, c. 8. v. 33. c. 24. v. 1. (3.) *Samuelis*, 1. Sam. 10. v. 17. (4.) *Davidis*,
2. Sam. 6. v. 1. (5.) *Salomonis*, 1. Reg. 8. v. 1.

2. *A potestate condemnandi* in iis hæreticos, ut 1. in prima Sy-
nodo Nicæna ab Imperatore Constantino Magno celebrata, ubi
Arrius hæreticus condemnatus est. 2. In Concilio Oecumenico
secundo habito Constantinopoli, & à Theodoro Majori indicto
& celebrato, ubi Macedonius hæreticus condemnatus est.

Sed Respondemus, committi circa primam probationem (1.) *Fallaciam*
Questionis. Non enim quæritur, quis habeat potestatem
indicendi & convocandi Concilia? sed utrum Concilii publici
indictio ad arguendum hæreticum sit necessaria. (2.) *Probari hic,*
quod non est probandum. Quis enim unquam sanus negavit, Principi
ut Magistratui supremo competere potestatem indicendi Concilia?
Illud potius probandum: quod illi soli hæretici dicendi, qui sunt da-
mnati in quodam Concilio publico. Item, neminem nisi in Con-
cilio publico hæreseos convictum & damnatum esse hæreticum.
Quod si esset, sequeretur scripturam esse insufficientem ad ar-
guendum hæreticum, quod negat Apostolus Paulus 2. Tim. 3. 16.

Refutantur.

2. Dicimus, committi circa alteram probationem *Elenchum*
causæ finalis. Causa enim finalis Concilii convocati non est, ut
prius in eo damnentur hæretici, sed ut testetur, eos jam esse legiti-
mè damnatos, & quidem secundum verbi divini præscriptum.
Quare non sequitur, tum demum aliquem dici hæreticum quam-

B

primum

primum Concilium id indicat. Concilium enim ne ponet, ante
convocationem Concilii non fuisse illum hæreticum (scil. qui
condemnatur) quod est absurdum. Quis enim Concilio hoc dixit
illum esse damnandum, nisi hæresis ejus, propter quam condem-
natur. His præmissis, facilius patebit vera Definitio.

Placet autem nobis sententiam D. Augustini & Hieronymi de
definitione hæretici subnectere, quia eorum neutrum rejicit Ro-
mana Ecclesia.

**Definitio Au-
gustini.**

D. Augustinus in lib. de utilitate credendi sic definit: *Hæreticus
est, qui alicujus temporalis, & maxime vanæ gloria principatusq; sui gratia
falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur,*

Hieronymi.

D. Hieronymus autem in Epistola ad Galatas ita: *Quicumq; aliter
scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo conscripta
est, licet de Ecclesia non discesserit, hæreticus tamen appellari poterit.*

**Definitio no-
stra constat**

Ex his, nos supra positam definitionem eduximus, quæ ab-
solvitur tum vero genere, tum Differentia, tum Objecto.

**Genere, Diffe-
rentia, &
Objecto.**

*Genus Personam dicimus, ex quo hoc Confectarium: Hæreti-
cus non est, qui non est Persona.* Ita enim Scriptura hæreticum descri-
bit, ut non nisi Personam esse appareat. Legatur (1.) integrum cap.

**Genus est
Persona.**

2. Pauli ad Tim. Epist. post. (2.) v. 3. c. 6. Epist. prior. ad Tim. & v. 13. c. 1. ad
Tit. etiam v. 11. c. 3. ejusdem, & v. 16. c. 1. Epist. Pet. post. nec non v. 22. c. 2.

**Quod proba-
tur.**

ad Coloss (3.) cap. 24. quest. 3. & c. 27. Iur. Canon.

**Differentia
triplex.**

Differentia assignatur triplex. 1. enim dicitur, *Qualis illa per-
sona esse debeat, nimirum (non extra, sed) intra Ecclesie militantis
gremium constituta.*

**1. Qualis sit
Persona.**

2. Cum Ecclesia alia sit triumphans, alia militans, distin-
ctio quoque illa attenditur, dum dicitur *Persona constituta in Eccle-
siae (non triumphantis istius in cælo, sed) militantis cætu in terra.*

**2. Qualis Ec-
clesia.**

3. Cum error alius sit per se, alius per accidens, adduntur ver-
ba *malitiosè & pertinaciter, simulq; hæresin non tantum in volun-
tate, sed & in intellectu esse ostenditur. Nam ut vera ac salvifica fi-
des (dicit Clarissimus Doct. Gerhard. tom. 6. pag. mihi 622.) noti-
tiam in mente, assensum ac fiduciam in voluntate: ita hæresis in intellectu
errorem, & in voluntate pertinaciam simul complectitur.*

**3. Qualis er-
ror, & quo
animo.**

**Objectum ve-
rum.**

Objectum hoc loco est verbum DEI, & fides in scriptura compre-
hensa, sive ea sint res, sive verba, sive explicationes orthodoxæ ad
fidem



autem hujus vel illius viri docti sententia live opinio, neque, (ut supra diximus) *Papæ decreta & traditiones*. His expeditis perfecta quies sit Definitio, non dubitamus.

Errant autem circa illam 1. Pontificii, ut (1.) Bellarmius, qui lib. 3. & 4, de Ecclesia militante c. 4 pag. 150. dicit: *Apertè falsum esse dari in Ecclesia vera hereticos*. Cui opponimus scripturæ testimonia; quandoquidem etiam in populo DEI sancto fuisse leguntur Pseudopropheta & doctores docentes falsa, 2. Pet. 2. v. 1. Et Antichristus dicitur sedere in populo DEI, id est, medio Ecclesiæ, 2. Thess. 2. v. 4. Jam sedere in medio Ecclesiæ seu populo DEI, & tamen esse extra eum, sunt contradictoria, quæ simul stare non possunt. Deinde etiam populum hebræum, licet Idololatricum, nihilominus DEUS appellat suum, Esa. 1. v. 3. Jerem. 2. v. 11. Sic Corinthiaca Ecclesia, quæ fuit vera Ecclesia, 1. Cor. 1. v. 23. non caruit hæreticis, 1. Cor. 11. v. 19. quo in loco Iesuita Pistorius in Colloq. Badensi negat particulam *ἐν ὑμῖν* esse Paulinam. Sed respondemus, nondum probasse illum contrarium, sive, quod affirmat. Neque tantum hoc in loco, sed & Act. 20. v. 30. ex ipsa Ecclesia Ephesina exsurrecturos, Apostolus ait, viros, qui loquuntur perversa, ut habet versio *ἐξ ὑμῶν ἀγῶν ἀναστήσονται*. Et 1. Johan. 2. v. 17. *ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, ἀλλ' οὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν, &c.*

(2.) Alphonsus de Castro, qui dum Bellarmino & ei assentiens reclamare vult, ipsemet reprehensionem incurrit, dicit enim hæreticos & Apostatas baptizatos de Ecclesia vel Ecclesiæ veræ esse membra ac partes lib. 2. de justa heret. punitione c. 24. Cui respondet Doct. Affelmannus p. m. in disput. de hæreticis ferendis non auferendis: esse eos non Ecclesiæ veræ sed Satanæ membra, adeoque nec de Ecclesia vera dici posse, licet sint Ecclesiæ visibilis partes, adeoque in Ecclesia:

2. Errant illi (1.) qui simpliciter & sine discrimine quemlibet etiam propter novæ opinionis inventionem hæreticum nominant. Sic Ioh. Aventinus lib. 3. annal. Bejorum refert, quendam Vergilium Episcopum Germanum Mathematicis artibus eruditum Romanum à Zacharia Pontifice ideo vocatum fuisse, quod Antipodes esse statuerit.

(2.) Qui Ethnicos, Mahumetanos, Iudæos, Turcas, Gentiles hæreticos vocitant, qui nunquam in Ecclesia fuere (foris enim à nobis sunt, tra Ecclesiam.

ad Laurentium c. 4.) unde ex eâ egredi minimè potuere, sed Pagani potius ac infideles nominandi.

3. Eorum, qui non ex erroribus tantum, sed & erratis hæreticum definiunt.

(3.) Errant illi, qui non ex *erroribus* tantum, sed & *erratis* simul hæreticum definiunt, cum tamen *Apost. Paulus* Rom. 16. v. 17. illos tantum hæreticos voluit nominatos, qui errorem circa doctrinam committunt. Si enim omnes errantes hæretici dicendi, certè pauci, imò nulli invenirentur, qui populi *DEI* nominandi, cum nemo sit, qui non erret, juxta tritum illud & vulgatum: *Nemo sine errore vivit.*

4. Qui à Patrum & Doctorum sententiâ abeuntes, hæreticos dicunt.

Quibus contradicunt Augustinus. Lutherus.

4. Errant, qui illos hæreticos vocant, qui à *Patrum & aliorum doctorum virorum sententiâ* dissentiunt, & in interpretandis scripturis à vero sensu abeunt, cum tamen testimonium divinum humano proferendum, & donum prophetiæ non sit omnibus datum, 1. Cor. 12. cap. 13. v. 9. cap. 14. v. 32. & aliud sit à genuino alicujus dicti sensu aberrare, aliud à fidei regula discedere *Augustinus* lib. 1. de Genes. ad lit. c. 21. Et lib. 11. de civ. *DEI*. c. 19. Hinc quoque de se ipso alio in loco dicit: *Errare poterò, hæreticus tamen non ero.* Quod ipsum etiam Lutherus noster testatur lib. de Conc. t. 7. Jenens. Germ. fol. mihi 232. quando sic infert: *Die seynd Ketzer/ vnd von solchen redet der Apostel Paulus (Rom. 16. v. 17. Tit. 3. v. 11.) die da muthwilliglich vnd wissentlich wollen in Irrthumb verdampt bleiben.*

Nam dantur 1. Seducti.

Nam dantur multi, ut 1. *Seducti, hæretici* (non ex malitia, sed) *ex simplicitate credentes*, errorem non propagantes, sed rectiora judicia sequentes, quos pro hæreticis esse habendos, nemo facile dixerit.

2. Occulti.

2. In occulto prava dogmata foventes, ut tempore Apostolorum *Gamaliel* Act. 5. & hodie multi, quos à consortio hæreticorum separat *Apostolus Paulus* 2. Tim. 2. v. 18. c. 3. v. 13. 2. Pet. 2. v. 1.

3. Infirmi.

3. *Infirmi*, quos extra hæresin ponit *David* Psal. 32. *Salomon* Proverb. 24. *Iacob* Epist. 3.

4. Errantes quidem, sed non in fundamento.

ut Apostoli. Augustinus. Cyprianus.

4. Alii, qui erroribus suis non incurunt in fundamentum fidei, quod est *Christus cum omni suo merito*, 1. Cor. 3. v. 11. Talis error fuit *Apostolorum*, de regno *Christi mundano*, *Augustini*, de infantibus *Eucharistiâ* cibandis, *Cypriani*, de rebaptizandis iis, qui baptizati erant ab hæreticis, quos omnes in hæreticorum catalogum referre religio est *Augustino*.

THEOREMA III.

Ib. 3.

Hæretici cognoscuntur intrandi modo & fructuum qualitate.

Matth. 7. v. 15. Christus Apostolos jubens, ut caveant sibi à Pseudoprophetis, duo ponit signa, quibus eos cognoscant, & à reliquis (veris scil.) distinguant. Alterum sumit ab intrandi modo: Alterum à fructuum qualitate. Utrumque sic describit: *προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἐσθιὲν δὲ εἰσὶ λύκοι ἄρπαγες. ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ὄψιν γνωσεῖτε αὐτούς.* Quæ duo cum in hæreticis Pseudoprophetis modernis quoque inveniantur, placet nobis ea ipsis tribuere, & sic à reliquis distinguere.

Modum intrandi quod attinet, veniunt, nec doctrinam ab Apostolica diverſam afferre videri volunt, unde hæc ipsa vestem propriam tegunt, ne cognoscantur. Sicut enim Jacob Gen. 27. v. 1. seqq. non poterat accipere benedictionem, nisi veste quadam obduceret manus suas, ut similes fieret Esauo hirsuto: Sic quoque hæretici, si velint aliquid contra Orthodoxos obtinere debent vestes proprias mutare, & eandem, quam Orthodoxi, assumere: id quod hodie nonnullis in articulo de Cœna valde familiare. Pneumatomachi Macedonianis quando Sp. sancto denegarunt divinitatem, errorem texerunt dictis Joh. 6. v. 39. nondum erat Spiritus sanctus. Et Amos 4. v. 13. Ecce DEUS creans Spiritum. Item Synodo Nicæna, ubi asseritur, Patrem esse DEUM, Filium esse DEUM, sed de Spiritu sancto indeterminatè effertur, & in Spiritum sanctum sine additione vel DEI vel Domini, de quibus ut & reliquis, vide satis doctè differentem Dr. Dan. Cramerum in heres. c. 6. Class. 4. pag. 154. seq. & c. 9. Class. p. 164. Item p. 194. 186. 117. seq. Quamvis autem Hæretici non cognoscantur statim in ipsa mutatione vestrum, ipso tamen usu & gestu se produnt, ut Asinus apud Æsopum pelle leonis indutus.

Fructus quales ferant hæretici, quotidiana ostendit experientia. Secundum enim legem & testimonium non dicunt, Esa. 8. v. 20. Errant & veritatem DEI ignorant, Matth. 22. v. 29. Sunt qui ex vita & moribus

B 3

dedo-

Quod docetur
Exemplis.

1. Pontific.

2. Anabapt.

3. Calvinian.

Th. 4.

Causa hereseon.

1. Efficiens

quæ vel

Externa.

vel Interna.

cujus adju-

vantes varia

reticas, cum multorum vita doctrinæ non respondeat. At vita perversa, si esset signum doctrinæ everse, quid dicendum de doctrina Prophetarum: Num Judæorum vita illorum doctrinæ erat conformis? Unde ergo tot Prophetarum querelæ? Fructum ergo, quibus cognoscuntur Hæretici, doctrinam dicimus ipsam, quam ex scriptura judicamus, & ex doctrina doctorem æstimamus. Si ergo doctrina cum verbo pugnat, vel ad seditionem, desperationem & alia quævis mala præbet ansam, fructus sunt, quibus Doctorem ipsum fugiendum facile intelligitur. Apponemus exempla: Cœlibatum Pontificii collaudant, interim scortationi & quibusvis illicitis flammis fenestram aperiunt. Anabaptistæ quas non seditiones excitant? Calviniani in desperationis barathrum præcipitant auditores absolutum quoties decretum urgent. Hi sunt fructus ex quibus velut ex ungue leonem hæreticum & Pseudodoctorem dignoscimus. Constat itaque duobus hisce signis, ex verbo DEI brevibus repetitis, quomodo hæretici ab aliis & cognosci possint & debeant.

THEOREMA IV.

Quatuor sunt cause hereseon, Efficiens, Materia, Forma & Finis.

Causa hereticorum potest esse quadruplex, secundum quatuor genera causarum. Prima est Efficiens, qui vel Externa & Remota, vel Interna & Proxima.

Externa & Remota est Diabolus, qui, posteaquam in veritate non permansit, sed factus est Pater mendacii, Joh. 8. v. 44. totus est in eo, ut ex credentibus faciat hæreticos, eosq; à veritatis tramite abducat. Eripere enim ex cordibus eorum verbum DEI studet, Luc. 8. v. 12. Et Zizania seminare inter triticum, Matth. 13. v. 25. dies noctesq; allaborat. Hinc operam suam non vocatus offert, ut 3. Reg. 22. Ego ero Spiritus mendax in ore Prophetarum Achab. Et Paulus adventum Antichristi secundum operationem Satanae fieri scribit, 2. Thess. 2. v. 9. Interna & Proxima est ipsa hominis natura, quæ pronior est ad malum, quam ad bonum. Hujus adjuvantes causa possunt esse variæ, (1.) Supercilium Deut. 18. v. 20. 2. Tim. 3. v. 2. (2.) Studium novitatis. (3.) Studium vincendi. (4.) Odium

quibus in gloss. sup. 10. cap. Osea hæc extant verba: Heretici superbiam habent quasi matrem iniquitatis suæ, & jactitant se semper scire altiora & in Ecclesia contumeliam debacchantur, sed arrogantia populi & magistrorum simul corruunt. (7.) Avaritia, de qua D. Augustinus in lib. de utilit. credendi hæc habet: Hereticus est, qui ob amorem lucri aut principatus novas opiniones aut gignit aut sequitur. (8.) Invidia. (9.) Pseudophilosophia.

Altera causa *Materialis*, quæ est *unicus vel aliquot fidei articuli*, in quibus corrumpendis & malitiosè depravandis versatur Hæreticus. **2. Materialis**

Tertia est *Formalis*, & est *ipse error vel diviatio à fide* Doct. Dan. Cram. c. 4. hæres, p. 13. Vel *concursum & conglomeratio omnium essentialium requisitorum hereticum hominem constituentium*, Doct. Affelmannus p. m. in disput. de quest. illa. *Quinam sint verè heretici*. In qua etiam videre licet requisita, sat fideliter ab ipso allegata, à nobis autem præterita ne actum agere videamur. **3. Formalis**

Quarta causa est *Finalis*, & aliter se habet *respectu Diaboli*, aliter *respectu heretici*, aliter *respectu Ecclesie*, aliter *respectu ipsius DEI*, ut vult D. Cramerus d. l. pag. 13. & 14. **4. Finalis, quæ consideratur**

Si enim *Diabolum* respicis, ejus finis est *nominiis divini eradicatio*, humani generis *perditio*, viæ ad salutem tendentis *occlusio*.

Si *hereticum*, finis est, vel *honoris ambitio*, *authoritatis acquisitio*, *sapientiæ inanis persuasio*, *ventris curatio* & breviter *omne temporale commodum ac spes lucri*, Paulus Tit. I. V. II.

Ex hoc fine iterum nascitur alius, qui dicitur *finis per accidens*, & est vel *piorum sive fidelium probatio*, I. Cor. II. V. 19 Deut. 13. V. 3. vel *infidelium punitio*, 2. Tess. 2. V. II. vel *negligentiorum excitatio*, Amos 8. V. II.

Ecclesiam si respicis, est ut illam cognoscas, & tanquam veram à reliquis distinguas. Sicut enim arcis vel civitatis alicujus firmitudo tum demum cognoscitur, quando sæpe ab hostibus oppugnatur: Sic etiam Ecclesie veritas tum primum redditur nota, quando ab hostibus veritatis diu multumq; oppugnata est & oppressa.

Denique si *DEUM ipsum* respicis, est *gloriæ & nominiis divini* ejus manifestatio Hæc de Theor. 4 plura vide apud Dn. Doct. Presid. in præfat. part. 2. Philos. sobr. **4. DEI**

THEO.

2. Materialis

3. Formalis

4. Finalis, quæ consideratur

Respectu

1. Diaboli

2. Ipsius heretici

Ex quo finis per accid.

3. Ecclesie

4. DEI

DEUS per-
mittit spargi
haereses.

*Permittit DEUS haereses spargi, ut Ecclesia vera notifi-
cetur, à fermento falsa doctrina purgetur, veritas caelestis in-
dagetur, falsitas profligetur, negligentiores excitentur, impij
puniantur.*

Reverendus admodum Dn. Doct. Præses d.l. (præfat. part 2.
Philosoph. Sobr.) septem affert causas, cur DEUS permittat haereses
spargi.

1. Propter Ec-
clesiæ notifi-
cationem.

1. Dicit id fieri propter Ecclesiæ notificationem, quandoqui-
dem illa dum premitur, non autem opprimitur, oppugnatur non
autem expugnatur, fit ut reddatur magis nota, magis conspicua
ut patet exemplis ibidem allegatis.

2. Propter e-
jusdem pur-
gationem.

2. Propter Ecclesiæ purgationem, siquidem illa demum dicitur
pura, expulsâ & remotâ hæresi. Duplices enim sunt homines
in Ecclesia, alij fidem profitentes: alij illam simulantes, eorum
ut fiat distinctio necessum est, ut aliquid interveniat, quò inerve-
niente cognoscantur. Hoc ipsum DEUS hæresin esse permittit, qua
irrumpe, fidei, quoad utramque partem fit exploratio. Hinc
veteres dixerunt: *Hæresin esse purgamentum Ecclesiæ.* Et Cypr. lib. 1. Epist.
inquit: *Utile est bono grano, ut pulvis & immunditia excernantur.* Sicut
enim triticum, quo magis cribratur, eò fit purius, sic quoque Ec-
clesia, quo magis oppugnatur, eo redditur purior & illustrior.

3. Propter ve-
ritatis illu-
strationem.

3. Propter veritatis illustrationem, quia hæretici cum Ortho-
doxis pugnantes, magis magisque hos ad veritatem indagandam
excitant. Patet hoc illustratione articulorum fidei, quorum sensus
omnibus non fuisset æquè cognitus & perspectus, nisi ab adver-
sariis hæreticis fuisset impugnatus. Rectè August. t. 1. l. 7. Confess. Co-
lum. 133. *Improbatio hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia sentiat, &
quid habeat sana doctrina.*

4. Propter hæ-
resis detesta-
tionem.

4. Propter hæresis detestationem. Falsitate enim & blasphemâ
doctrinæ cognita & perspecta, fieri non potest, quin non ex-
ecratione & detestatione dignam eam judicamus. Quis enim est,
qui falsitatem non fugere, veritatem amplecti vellet, cum hæc &
DEO & hominibus nos reddat gratos, illa odiosos & execra-
biles?

5. Pro-

5. Propter piorum probationem. Probantur enim illi an constan- 5. Propter
tes ac fortes in fide maneant, non secus ac militis cujusdam con- piorum pro-
stantia ac fortitudo in acie ac pugna exploratur. Ad hoc enim here- bationem.
ses sunt, inquit, Tertullianus. 3. l. de prescript. c. 1. p. 201. ut fides haben-
do tentationem habeat etiam probationem. Quo etiam alludit distichon
hoc Ovidij:

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum
Tempore sic duro est experiunda fides.

6. Propter pigrorum excitationem. Præbent enim hæretici an- 6. Propter
sam Orthodoxis diligentius doctrinam cœlestem excutiendi, pigrorum ex-
pertractandi, & controversias expendendi, quod testa- citationem.
tur Augustinus quodam in loco, dicendo: Ideo divina providentia
multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum interrogant nos ea
quæ nescimus, sic discutiamus pigrum, & divinas scripturas capiamus.

7. Propter impiorum punitionem. Justus enim Judex Deus, qui 7. Propter
cum videt homines verbum suum negligere, mittit illis efficaciam impiorum
erroris, ut credant mendacio, quia non crediderunt veritati ut lo- punitionem.
quitur Apost. Paulus 2. Thess. 2. v. 20 seq. Et tum demum intelli-
gere discunt bona, cum, quæ in potestate habuerunt, amiserunt.
Hæc de causis cur Deus permittat hæreses spargi. Plura de hisce
apud Dn. Doct. Præsid. d. l. & Dan. Cram. in hæres. c. 4. p. 10. & seqq. le-
guntur.

THEOREMA VI.

Theor. 6.

Pœne hæreticorum post admonitionem sunt, Excommunicatio,
Remotio ab officio, Bonorum confiscatio, in carcerem
conjectio, Exilium, non autem eorum extinctio
sive vitæ privatio.

Pœne hæ-
reticorum.

De pœnis hæreticorum hic agere constitutum est, ubi pri- Post admo-
mam post admonitionem constituimus Excommunicationem, qua- nitionem
apud antiquos in Ecclesia floruisse probat Exemplis non paucis D. Ger- sunt 1. Ex-
hard. t. 6 p. 1082. Unde & Paulus 1. ad Tim. 1. v. 20. Alexandrum & communi-
& Hymeneum sathanae tradidit. Confer. 1. Cor. 5. v. 5. Et primam ac anti- catio,
quam in Ecclesia fuisse, ostendit Becanus Iesuita in Theol. scholast. tom.
tr. 1. c. 15. q. 2. p. 218. & 219.

Alteram facimus Remotionem ab officio, ita ut hæreticum pro- 2. Ab officio
hibea- Remotio.

C

nibeamus ministerio docendi publice & sacramenta distribuendi. *Becanus* v.d.l. p. 220. distinguit inter ministerium quod exercet in persona Ecclesie & persona Christi. illo posse privari, non hoc affirmat. Sed nugæ sunt, ex falsa hypothese de charactere indelebili profectæ.

3. Bonorum
confiscatio.

Tertiam dicimus *confiscationem bonorum*, ut bonis suis hæretici priventur.

4. In carcere
re. coniectio.

Quartam ponimus *in carcerem coniectionem*, & 5. Exilium.

5. Exilium.

Has itidem in Ecclesia Calvinistica inveniri docet, *Wolfgang Musculus* in locis p. 1329. Et in Ecclesia Papistica *Bellarminus* dum inquit: *Initio Ecclesia hæreticos tantum excommunicabat, deinde videns hoc non sufficere, addidit pœnam pecuniariam tum amissionem bonorū, postea exiliū, & tandem eò devenit, ut & additum fuerit ultimum supplicium.*

quibus Pontificij addit
ultimum
supplicium.

Sed ipse est, ut & alii nonnulli ex Pontificiis itemq; Calvinianis qui ultimum hoc addunt, neq; dictis pœnis contenti Pontificij, pœna sit, ajunt, *hæretico fidem non servare*, de qua in theor. nostro sequenti 12. cum Deo agemus.

Cautela hæc
observanda.

Nos pœnis supra constitutis addimus *hasce cautelas* 1. *Non omnes simpliciter hæreticos posse à Magistratu puniri*, cum (1.) quidam sint tantum præsumti hæretici, quales hodie *Evangelici*, quibus hæresin Pontificij, *Eutychianismum*, *Marcionismum*, *Nestorianismum Calviniani* affingunt. (2.) quidam in animo illam foveant, cujus cognitor & iudex solus est Deus: *sed manifestos & apertos hæreticos, qui externis signis eam prodiderunt. Et hoc est quod diximus in theor. nostro secundo: Concilium non nisi de manifestis hæreticis judicare.*

2.

2. *Inæquales æqualibus pœnis non posse affici, cum delicta non sint paria.*

3.

3. *Quidam mortis supplicio quin possint affici, nostrates non negare: Seditiosi enim & blasphemii, &c. qui tam jus divinum quam humanum corrumpunt, sub potestatem gladii meritò veniunt* *Doct. Chemnit. part. 2. Exam. Concil. Trident. D. Gerhard. tom. 6 p. 1047. D. Paulus Tarnovius Præceptor meus honorandus in lib. contra Faustum Socinum, c. 9. p. milli 956. D. Cram. c. 9. p. 33. & c. 11. p. 37. Du. Doct. Præses part. 1. Philosop. Sobr. sect. 2. c. 4. q. 4. pag. 625. Item in tract. de legibus lib. 4. sect. 1. q. 19 p. 352. At non simplices hæretici, qui præter falsitatem doctrinæ, quam amplectuntur, nihil proponunt, faciunt:*

Sic

Sic nec Lutherani pœna capitis ponunt affici, qui, licet contradicant adversariis Papicolis & ab illis dissentiant, hæresin tamen non committunt & defendunt.

De illis nunc qui nec seditiosi nec blasphemii sunt (licet solam nudamq; hæresin privatim publiceq; spargant vel servent) quæritur: num etiam pœna eorum debeat esse capitalis?

Iesuita & Calviniani quidam contra nostrates affirmant & dictis scriptura, Exemplis ac rationibus probant, sed audiamus.

Jesuitarum dux & Coryphæus Bellarminus non uno sed multis in locis hanc vocem usurpat: *Hæreticos esse occidendos*. Neq; hac est contentus, quin insuper pergit: *levem esse illam pœnam & exiguam hæreticos comburi* lib. 3. de Pontific. Roman. cap. 7. In qua opinione etiam est Iesuita Costerus in *Enchirid. de moribus hæreticorum* fol. 17. quando *supplicia adhuc ex pia quadam misericordia & desiderio conversionis proficisci scribit*. Quæ autem illa misericordia, cum & pœnitentiæ & conversionis omnis locus præscindatur, nos non satis percipimus, nisi illo docente informemur.

Bellarminum sequuntur Gregorius de Valentia tom. 3. d. 1. q. 11. punct. 3. Costerus in *Apologia advers. Gomarum* & alii passim plures de quibus singulis brevitatis ergo sufficit notare illud, quod Meyerhoff in *speculo prædicantium* fol. 54. habet: *Daß man die Ketzer am Leben straffen sol / seyn die Chatholischen dermassen vereiniget / daß sie es auch für einen Glaubens Artikel halten vnd haben*.

Probant autem (ut dixi) 1. *Dictis* (I.) V. T. ut Deut. 13. v. 5. c. 17. v. 12. c. 18 v. 20. ad quæ tria loca respondemus, illa impertinenter hîc allegari, quia nullus eorum loquitur de *hæretico simplici*, sed primus & tertius de simul *seditiosis, blasphemis & malitiosis*, qui DEUM abnegant, alienos colunt, & populum judaicum ad idem faciendum impellunt, incitant, movent. Secundus locus loquitur de *inobedientibus* qui nec sacerdotum nec iudicum sententiam sequi volunt.

2. N. T. (I.) Matth. 18. v. 17. ubi legitur, Ecclesiam posse eum, qui obedire noluit, *reijcere, & ut Ethnicum ac Publicanum habere* hoc est (explicante Iesuita) *seculari Magistratui ad mortem rapiendum*

Verus status
de quorum
hæreticorū
capitali sup-
plicio sit
questio.
Iesuitarum
sententia
Bellar.

Gregorius
de Valentia.
Costerus.
Meyerhoff

Qui interfi-
ciendos hæ-
reticos pro-
bant
t. *Dictis*
I. V. T. ad
quæ respon-

2. N. T.

Resp.

bus in doctrina. Deinde poena determinatur, non capitalis, sed excommunicationis. Tertio Ethnicus qua Ethnicus nunquam interficiebatur, sed tolerebatur, licet a cōsortio Ecclesiæ excluderetur, removeretur. (2.) Rom. 13. v. 4. ubi *secularem potestatem posse scelestos homines gladio punire* legitur. Resp. quid illud contra nostrates? quis enim eorum negavit Magistratum posse punire sceleratos? Non autem sequitur; Ergo Magistratus habet jus gladii in hæreticos.

2. Exempla:
1. V. T.

2. Allegant Exempla 1. V. T. ut: *Mosis* Exod. 32. v. 27. *Eliæ* 1. Reg. 18. v. 4. *Jehu* 2. Reg. 10. v. 1. *Iojadæ* 2. Reg. 23. v. 20. *Sacerdotum sacrificantium Deo Baal* 3. Reg. 18. v. 40. & 4. Reg. 10. v. 25. c. 23. v. 20. *Ase* 2. Paralip. 15. v. 13. *Matthiæ* 1. Maccab. 3. v. 24.

Resp.

Resp. cum Clarissimo Dn. D. Affelmanno p. m. *Qualis regula, talia quoque exempla ad regulam accommodata.* Ast regula *Mosaica temporaria.* Ergo & exempla. Quod si non concesserint adversarii duo inde educit absurda: 1. non tantum *heresiarchas*, sed etiam omnes *hereticis credentes, seductos & non quærentes Deum Israelis* excindendos & interficiendos esse, sine ullo vel *etatis* vel *sexus discrimine.* 2. Jus & potestatem gladii sic etiam competere non tantum *magistratui Politico*, verum & *Ecclesiastico* vi & valore exemplorum allegatorum, ubi *auxilium Magistratus Prophetæ* non implorarunt, sed *propriis duntaxat manibus hereticos trucidarunt.* Observa igitur *distinctionem* quam idem habet thesi 18. *Hæreticos licet & non licet occidere ratione temporum Personarum & Errorum.*

Observ. distinguenda esse.

1. Tempora.

Temporum V. & N. T. Illic licitum fuisse propter mandatum Dei, capitaliter hæreticos punire: Hic non item.

2. Personas.

Personarum. Aliter enim puniendus qui hæresis author est: aliter qui seductorem sequitur.

3. Errores.

Errorum, qui ut sunt graviores vel leviores, ita etiam poenam merentur diversimodam. De aliis in ipsa *συζητησι* agemus.

2. Exempla N.T. Resp.

2. N.T. ut *Matth. 27. v. 12.* *Johan. 2. v. 14.* *Christus e templo eiecit vendentes & ementes*, ergo licet occidere hæreticos. Resp. Malè hic argumentantur *ab eiectione ad occisionem.*

3. Ration.

3. Rationes quod spectat, tres ex *Bellarmino Dn. D. Præses recenset in tractatu de legibus* p. 372. quas hic placet brevibus repetere.

Prima

Prima illorum est ne innocentes à nocentibus opprimantur.

2. Ut paucorum supplicio multi corrigantur.

3. Probabile non est, eos ad sanitatem mentis unquam redire, igitur estile est illis, & beneficium etiam, ut occidantur ne peiores fiant & plures errores excogitent.

Hic sufficiat nobis Dn. Doct. Præsidi responsio, qui, si harum rationum consequentia valeret, inquit, sequi etiam avaros libidinosos & ebriosos jure posse occidi, quia & illi vita ac moribus suis aliis nocere, sua autem morte multos corrigere possunt, nec minus sic ipsis ulterior peccandi occasio adimi & auferri potest. Negamus autem *repentinam occisionem hereticis beneficium asserre* quia, si statim fuisset interfectus *Augustinus* ob *Manichæismum*, Ecclesia insigni Doctore, ipse, gloria cœlesti fuisset privatus. Et *Apostolus Paulus* si fuisset è medio sublatus, nunquam Ecclesia illum habuisset verbi divini præconem, Act. 8. v. 3. Sic etiam *Samaritani*, si *igne de cœlo lapso fuissent sublati & extincti*, Luc. 9. v. 55. Sequentibus annis verbum Dei recipere non potuissent.

Hæc de Pontificiorum tum *opinionem* tum *rationibus*: *ijdem Pontificiis cum Calviniani* utantur, placet *authores* tantum allegare, & ad eos *adstipulantur Calviniani* lectorem remittere, ne ipsis & nobis prolixitate molesti simus. Videantur item *Zanchius* t. 2. Miscell. loc. de Magistratu. *Franciscus Junius* in defen. 2. de S. S. Trinit. p. 4. *Beza* in tractatu de hereticis à Magistratu puniendis vol. 1. fol. 153. seq. Et lib. Contra *Wilhelmum Holderum & Iacobum Andreae*. *Calvinus* in libello de supplicio *Serveti* pag. 32. *Bucanus* in Instit. Theolog. loc. 49. q. 34. p. 777. Superest adhuc nostratum *Theologorum sententia*, quam brevibus etiam subjiciemus. Rectè illi *hereticum interficiendum negant*, quos inter *D. Gerhard.* t. 6. p. 1048. *D. Paulus Tarnovius* in lib. contra *Faust.* Soc. p. 256. *D. Affelmannus* p. m. in disp. de hereticis ferendis non auferendis thes. 18. seqq. Dn. Doct. Præsides in tract. de legibus lib. 4. s. 1. q. 19. p. 348. seq. Et part. 1. Phil. Sob. p. 672. part. 3. Phil. Sob. q. 6. p. 902.

Vis autem negativæ illorum sententiæ consistit & includitur sequentibus hisce duobus argumentis.

1. Argumentum. *Quem modum agendi cum hereticis Christus, Apostoli & S. Patres in primitiva Ecclesia non probarunt, sed manifestis verbis improbarunt, illum nec nos hodie probare, sed improbare debemus.* At mo-

Quorum negativa probatur sequentibus arg. i. defectu Exempli.

dam hereticos auferendi sive poena capitis afficiendi Christus, apostoli & S. Patres in primitiva Ecclesia non probarunt sed manifestis verbis improbarunt. Ergo & nos hodie illum non probare sed improbare debemus. Minor est Trimembris, igitur probanda per singula membra. Ante autem quam id facimus, dicimus: à defectu præcepti, ad improbationem facti, licet argumentari. Nunc probamus.

Christi.

Christus illum modum non probavit sed improbavit Luc. 9. v. 54. Matt. 7. v. 15. Matt. 16. v. 11. seq. Matt. 13. v. 30. ad quod postremum nota exceptiones Pontificiorum quas inuenies apud Doct. Gerhard. tom. 6. p. 1068. seqq. D. Affelmannum in disp. jam dicta th. 27. Doct. Præsid. part. 3. Philosp. Sobr. p. 921. seqq.

Apostolorū.

Item Apostoli non probarunt, sed improbarunt 2. Cor. 10. v. 4. ubi Paulus carnalibus uti armis contra hæreticos negat, quia arma militiae nostræ, inquit, non sunt carnalia. Et Tit. 3. v. 10. ubi etiam nescio quid aduersarii obgannire soleant. Thomas de Aquinate 2. q. 11. dictum hoc ultimum dum legit, de vitâ sc. tolle, apertam Fallac. accentus committit, nec attendit quid græca versio habeat. In eodem cum illo luto hæsitat Bellarminus lib. 3. de laicis c. 22. col. 693. qui in libris antiquorum non de vitâ, sed de vitâ legi asserit, quasi ipsi licitum esset à versione in Concilio Tridentino Canonizata recedere.

Patrum.
ubi attendatur
1. praxis
Ecclesie.

Quod S. Patres non probarunt sed improbarunt, constat 1. Ex praxi veteris & orthodoxæ Ecclesie, ubi Arius in exilium condemnatus, non è vitâ sublatus. Socrat. lib. 1. c. 8. Novatiani, Valentiniani, Marcionite, Pauliniani, Phrygastæ à Constantino Magno proscripti non extincti sunt Euseb. l. 3. de vita Const. Magni. Apollinaris & Nestorius in exilium pulsati, non igni traditi Niceph. lib. 8. hist. Ecclesiast. c. 43.

2. Statuta
Imperatorū

2. Ex Statutis (1.) Constantini Magni, Euseb. in hist. Ecclesiast. lib. 10. c. 5. (2.) Valentiniani Niceph. l. 11. c. 30. (3.) Gratiani Idem l. 12. c. 1. (4.) Imperatorū Christiani Philippi Arabis Euseb. l. 4. c. 33. qui singuli leges fixerunt & promulgarunt non de hereticis auferendis, sed ferendis. Ubi non minus nota quid S. Patres hac de re statuerunt, præsertim Augustinus, qui in Epist. ad Donatum Africae Praefulem scribit: corrigi, inquit, cupimus eos, non necari. Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 21. fatetur quidem aliquando, sic non sensisse Augustinum, vi nimirum ad fidem cogendos esse hæreticos, semper tamen excipit supplicium mortis, non quasi illos hoc non mereri putaret, sed quia hoc

Bellarmin.
hypocrita.

hoc

hoc dicere Ecclesiam mansuetudinem exultimaret. Cui egregie respondet D. Affelmannus p.m. *hypocrita*, inquit, *nonne & hodie Ecclesiam mansuetudo docet, nonne vos eam decet, qui eam representare vultis? aut ista tum temporis virtus, nunc vitium erit?*

Alterum argumentum sic habet.

Quicquid naturae fidei & Ecclesiae adversatur, naturam autem Antichristi infert, poenam iniquè distribuit, salutem & conversionem impedit, illud merito fugiendum non admittendum.

In haereticos usque ad mortem saevire adversatur naturae fidei (quae est res libera, nec necessitatis, sed voluntatis) naturae Ecclesiae (quae non sitit sanguinem, quia ejus Sponsus est agnus) Antichristi naturam infert (Apocal. II. v. 7. bestia faciet adversus testes Dei bellum, & vincet illos & occidet eos, & qui non adoraverit imaginem ejus, interficiet. c. 13. v. 15.) poenam non rectè distribuit (dum spiritualibus delictis, corporalia tribuit supplicia) salutem & conversionem impedit (quae post mortem nulla) Ergo merito fugiendum non admittendum. Plura de hoc theor. qui considerat, consulat Dn. D. Praesid. part. 1. Philosop. Sobr. sect. 2. c. 4. q. 4 p. 625. part. 3 Philosop. Sobr. q. 6. p. 898. Doct. Gerhard. t. 6. p. 1048. Doct. Affelmannum p.m. in disp. de haereticis ferendis non auferendis thes. 18.

2. Argum.

ab incommodu.

THEOREMA VII.

Theor. 7.

In haereticos Papista ferro & igne inquirunt.

Absoluto jam & explicatio theor. 6. nos convertimus ad septimum ad inquisitionem haereticorum Papisticam etiam apud Calvinianos usitatam, unde & à Papistis non persecutio, sed bellum civile appellatur, de quo vide Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. c. 7. Nec eorum inquisitio alio nomine appellanda venit. Quandoquidem non aliter in veritatis divinae Professores saeviunt, ac olim Pharisei in Christum & Apostolos, quos blasphemare Deum & seducere populum dicebant, etiam illos ut tales, condemnabant, interficiebant, de quo scripturam lege.

Modus autem quo procedunt hic est. 1. Constituunt & emunt sibi observatores clancularios, qui in aulis Principum ac Regum observant suspectos illis, quos vel blandis verbis, vel persuasione

Inquisitio

in haereticos

Papistica.

Cujus de-

scribitur

modus

& pro-

I.

De p[ro]m[er]ione d[omi]ni d[omi]ni d[omi]ni d[omi]ni ad religionem d[omi]ni d[omi]ni
plectendam alliciunt.

2. Quod si non possint, hæreticos illos dicunt & deferunt
ac produnt apud Magistratum.

3. Relatos producunt, in carcerem conjiciunt, sine tum
excussione tum confessione fidei ac doctrinæ.

4. Quam in carcere demum unus aut alter Monachus illos
accedens explorat, cui ad illa quæ profert & gannit respondere
coguntur.

5. Quod si uno aut altero verbo ostendunt dissensum, fati-
gantur inedia, donec altero die Monachus reversus cognoscat
quid in animo habeant sive proferant.

6. Si idem Palinodiam cecinerit, coram Magistratu erro-
rem profiteri cogitur, qui post confessionem ipsum jubet tum hæ-
resin abjurare, tum in satisfactionem bona sua fisco tradere, vel
in carcerem abire, vel etiam ad certum tempus, aut per omnem
vitam vestimentum ignominiosum colore flavo, cruce rubra pi-
ctum (quod illi vocant *Sambenitum*) gestare.

7. Sin minus, sed perseverent in sua religione, & nec captivitate
se ab illa detrudi patiantur, igne fatigantur aut etiã suspenduntur.

8. In deductione vero ad ignem, capitibus ipsorum *Tiara* im-
ponitur. quæ habet dæmones multos & ignem infernalem pictū,
veste quoq; induuntur antea dicta *Sambenito* eandem præ se fe-
rente picturam. Sicq; magno armatorum comitatu ad locum
supplicii ducuntur, prout illos sic procedere & ejusmodi specta-

Exempl. est *culi miserimum exemplum apud Osiandrum in historia Ecclesiastica c.*
apud Osiand. 16. l. 3. c. 34. extare, indicat D. Dan. Cram.

*Ast ut san-
guinolenta
exploditur.*

*à Christo
dissuadetur.*

O sanguinolenti & nunquam exsatiabiles tyranni qui non-
dum estis exsatiati, sed quotidie pergitis inebriari sanguine etiam
innocentium! Verum rarissimè, vanum sapissimè de aliquo spar-
gitis rumorè, quo cum postea in carcerem conjecto disputatis pro
more, pro libitu vestro, nec adfertis articulos, sed paratis fascicu-
los, ut sic jamdudum conquestus est D. Erasmus. An sic placere vos
Deo, dum Papæ putatis? minimè, is enim nos cavere ab hæreticis jussit
Matt. 7. v. 15. & falsam illorum doctrinam fugere Matth. 16. v. 11. & 12. 1.
Cor. 5. v. 7. lapsos sive labentes corrigere Matt. 6. v. 15. Semel atq; iterum

moni-

monitos, Ecclesiam autem non audientes pro Ethnicis & Publicanis haberi voluit. Ibidem vers. 17. Etiam civitates Evangelium non recipientes deserui non deleri mandavit Matth. 10. v. 14.

Nonne sic à forma veteris Ecclesiae receditis? maximè. Illa hereticos non eradicari, sed informari & tandem excommunicari voluit. Testes sunt S. Patres & ipsi tum temporis heretici.

Patres sunt Chrysostomus in locum Matth. de non evellendis zizaniis Homil. 47. Augustinus in quaest. Evang. cap. 11. & 12. Matth. Et lib. 3. contra Cresconium cap. 10. Lact. l. 5. divin. instit. c. 20. Theophylactus Hieronymus, Nazianzenus, de quibus singulis & in specie vide D. Dan. Cram. p. 46. & 47. l. d.

Heretici, ut quibus tum temporis erat libera optio, utrum mallent suum dogma pronunciarum anathema, an simul cum illo feriri anathemate. Sic Arrii haeresis damnabatur, ille autem non interficiebatur. Socrat. l. 1. cap. 8. Berengarius iterum atque iterum veritatem corporis Christi in cena negans, excommunicabatur, non autem igni tradebatur. Item Nestorius, Valentiniani & similes heretici in exilium ejiciebantur, non autem vitam privabantur. Dum ergo sic nec Deo placetis, nec formam veteris Ecclesiae retinetis quomodo non accusandi, quomodo non culpandi, & cane seu angue pejus fugiendi, vitandi.

THEOREMA VIII.

Cum hereticis de articulis fidei non nisi doctis & in fide fundatis disputare licet.

Contraria juxta se posita magis elucescunt, canon est, & h. l. maximè dignus. Quando enim hereticorum & orthodoxorum de fide fit conflictus & congressus, interior rerum veritas exploratur & cognoscitur. Proinde non negamus cum hereticis disputandum esse, praesertim de fide, ut eorum luci exponatur, ne alios seducant, nec ipsimet veritatem ignorent. Ubi tamen cautelas quasdam adhibemus pro diverso respectu Personarum & rerum.

Personarum 1. Non omnes etiam dubitantes de fide & laicos, sed doctos & in fide fundatos posse disputare de fide cum hereticis.

D

Praxi veteris Ecclesiae non est conformis. ut testes sunt:
1. Patres.

2. Hereticis ipsi.

Th. 3.
Quibus sit disputandum cum hereticis.

ubi observanda

1. Personas, quibus disputare licet.
2. Nec

2. Nec disputare licet cum hæreticis coram quibusvis & simplicioribus (qui inde possent perverti) sed doctioribus & literatis.

2. Res, de quibus disp.

Rerum, ubi simul non de quibusvis ut blasphemis & ludicris, sed religiosis & seriis disputandum concedimus.

Cujusmodi non sunt illæ, quæ DEUM peccati causam dicunt apud Calvinianos.

Hinc non immerito accusanda & rejicienda Calviniana hæc vox est: Num Deus sit causa & author peccati? cum DEUS nullo modo nec per accidens causa mali sit dicendus: Egregium Platonis est effatum: In civitate non est ferendus, qui, sive joco, sive serio deos causam mali dixerit. Quin Zwingli simile merito explodendum, quod DEUM benedictum & gloriosum tauro comparare non erubuit, sic dicens: Sicut taurus cum multis vaccis coire potest nec peccat, herus autem Tauri cum multis mulieribus rem sine adulterio habere nequit: sic nec peccare DEUM etiamsi teterrima scelera in hominibus operetur & producat, quoniam ipsi sicut & tauro nulla lex sit posita. Cætera quare apud Becanum Jesuitam in theol. Scholast. probl. 2. tom. 2. tr. 1. c. 15. q. 7. pag. 229. ut & Dn. Doct. Præsidentem, part. 1. Philos. sobr. c. 6. s. 1. q. 6. pag. 362. ubi etiam cum quibus disputandum, invenies.

Tb. 9i

Hæreticorum libros legere licet

THEOREMA IX.

Hæreticorum libros legere licet, ut errores eorum cognoscantur, & ipsi refutantur.

Observatis certis conditionibus,

Non aliunde, quam ex libris hæreticorum errores eorum cum cognoscantur, Becano Jesuitæ merito ad stipulamur, licere aliquando & necessarium esse libros hæreticorum legere in theol. scholast. q. 8. p. 221. Quod, monstrante eodem, & Concilium Carthaginense statuit, quando Episcopi præcepit, ut pro necessitate & tempore legant ejusmodi libros. Nos autem non absolute, sed certis conditionibus observatis hanc quæstionem concedimus, dicendo.

1.

1. Libros hæreticorum non omnibus licere legere, ne illis lectis incipiant vel dubitare vel vacillare in fide, sed literatis & iis, qui in fide fundati, autum à scoriis separare & juxta Apostolum Paulum, omnia probare & quod bonum retinere, norint. 1. Thess. 5. v. 21.

2.

2. Nec certorum hæreticorum librorum lectionem admittimus, ut faciunt Pontificii, sed omnium concedimus, quia quæ est lex unius libri, ea est & omnium. Ma-

Malè ergo fecit Leo X. Papa, qui (annuante Clarissimo viro Dan. Kepteneau-
Cramero in heres. c. 15. p. 61.) Lutherum damnavit, ideo, quia dixit ali- tur Les X.
quos articulos Ioh. Husij condemnatos in Concilio Constantiensi esse verif-
simos & Evangelicos & nec universalem Ecclesiam eos posse condemnare.
Posito enim Hussum fuisse hæreticum, in aliquibus tamen, quin
verus esse potuerit, nemo inficias ibit.

Malè ibidem Paulus Tertius Papa facit, qui (testante Becano Paulus III.
in theol. scholast. p. 232.) vetat legere libros Lutheranorum, cum ta-
men tolerant in Ecclesia scripta Ethnica, Rabinica, Mahumeti-
ca. Quasi nihil in iis veri, sed omnia falsa, cum vix nullus un-
quam hæreticus vel falsus Doctor inventus, qui simpliciter om-
nia falsa docuerit, sed utraq; simul, ut docet D. Hieronymus in Epist.
ad Alexand. quando se legisse, libros hæreticorum inquit, & vera ex-
cerptasse, falsa autem refutasse. Idem testatur Theophilus, qui Origenis
hæretici librum legit, & bona retinuit, falsa autem respuit. Et quid o-
pus exemplis? Ipse Diabolus, qui est Pater mendacii & falsitatis,
nunquam mendacia tantum, sed sæpissimè & vera locutus. Patet
hoc ex sententia ejus ad protoplastos nostros, ubi uno halitu si-
mul & vera & falsa protulit. Nam quod dixit Gen. 3. v. 5. ipsos
cognituros bonum & malum, verum dixit, quod autem v. 7. dixit, eos
similes futuros Deo mendacium dixit. Sic Job. 2. v. 4. & c. 17. Matth.
8. v. 29. Marc. 1. v. 24. Act. 16. v. 17. eundem vera dixisse invenies.
Quare non immerito cum Apostolo Paulo concludimus 1. Thess. 5.
v. 21. Omnia probate & quod bonum est tenete.

THEOREMA X.

*Libri hæreticorum manifestè impiorum, blasphemorum, vel
Magicorum, non simplicium, comburendi.*

Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 20. p. 544. nulla distinctione
adhibita asserit, licere & jure hoc fieri, ut libri hæreticorum com-
burantur. Sic enim quæstionem format:

Postrema restat quæstio, de pœnis hæreticorum, quas post Ecclesie ju-
dicium & declarationem, Principes Politici infligere possunt ac debent.
Incipiemus autem à libris eorum ac breviter ostendemus, libros hæretico-
rum jure interdici & exuri.

Theor. 10.
Quidam libri
hæreticorum
sunt combu-
rendi,
Bellarminus
indefinitè eos
comburendos
affirmat.

D 2

Nos

Nos distincti-
one adhibita.

Nos autem distinctione adhibita dicimus: Non quorumvis
haereticorum etiam simplicium, sed duntaxat manifestè impiorum, bla-
sphe morum vel Magicorum libros posse jure exuri. Idq; quia nec Chri-
stus iussit, neque ipsemet vel apostoli observarunt, quod sanè po-
tuisent, si debuisset. Nullo enim dubitante etiam in populo Israe-
litico Pharisaorum, Saduceorum, Essaeorum & similium scripta extite-
runt. Quin potius omnia probanda & quæ bona tenenda esse, dixe-
runt. 1. Thess. 5. v. 15. & Joh. 4. v. 1. Spiritus falsos cavendos esse. Si er-
go libri comburendi, quomodo id, quod boni in illis contine-
tur, lectione elici potest. Cum non Entis nulla sint affectiones, nulla
devitationes? Deinde lectio librorum haereticorum magnum affert
commodum Ecclesiae, ut patet ex superioribus: Fieri enim potuisset
ut hodie in tanta luce non esset veritas, nisi suppressa & oppugna-
ta defenderetur, eiq; tenebris eruta, clarius innotesceret. Tan-
dem sub specie hæresis veritas cœlestis multoties fuit sublata & ex-
tincta, ut patet Ierem. 36. vers. 23. & 2. Maccab. 6. v. 1. Item Historia
Iob. Husi & Lutheri, quorum utriusq; scripta fuere condemnata
& combusta, licet in iis multa salutaria nec adeo profana & fal-
sa omnia, ut sibi Papa somniaverat, continerentur.

Rationes Bel-
larmini

1.

Rationes Bellarminus, ob quas jure fieri putat, ponit sequen-
tes. 1. Dicit Valerium Maximum referre Romæ repertos fuisse
libros, non nihil religionem solventes, quos Prætor Urbanus ex
authoritate senatus in conspectu populi concremarit. Item, lib. 1.
de natura deorum attestari Ciceronem, Protagoram, Abdoritem
quod libros religioni noxios scripsisset, Atheniensium jussu, urbe
atque agro exterminatam librosq; ejus in concione combustos
esse. Ad illa Dn. D. Præses in part. 3. Philos. sobr. pag. 968. respondet, li-
benter se hoc concedere Bellarmino, quod hac in parte sint imi-
tatores Ethnicorum, a quibus cum multa quoad ceremonias mu-
tuati sint, cur non & simul quoad tyrannidem ipsorum aliqua
mutuentur? Et cum factum illud Gentilium probent per omnia,
cur non & illud, quod sacras literas & libros Christianorum
combusserint? Hoc autem est impium, ergo & illud.

Respond.

2.

Resp.

2. Act. 19 multos ab Apostolis conversos libros curiosos &
vanos contulisse & combussisse coram omnibus. Resp. Exem-
plum

piam illud nimis contra nos, quia non tangit quamvis prope-
sitam, quæ est, num libri hæreticorum comburendi. Deinde
idem affirmat quod nos, nempe libros Magorum esse combu-
rendos.

3. Ecclesiam antiquam idem observasse & concremasse li-
bros hæreticorum, ut probat historiâ Ecclesiasticâ, legibus Im-
peratorum & ipsa quoque experientia, quod nulli ferè hodie exi-
stant libri veterum hæreticorum, ut Valentini, Marcionis, Arrii,
Eunonii, Nestorii, Pelagii &c. quorum tot volumina antea exti-
terunt. Resp. antiquæ illi Ecclesiæ, antiquitatem Ecclesiæ Christi
& Apostolorum opponimus, hæc enim antiquior. Deinde in
illa non omnes sed quidam tantum libri hæreticorum sunt com-
busti, Pontificii vero sine respectu in dissentientium ab ipsorum
religione libros sæviunt.

4. *Probat ratione.* Nam colloquia hæreticorum (inquit) sunt
periculosissima, & ideo diligenter vitanda, ergo multo magis libri sunt
noxii & pestilentes ac vitandi. Quod autem colloquia sint talia pro-
bat (1.) dictis Rom. 16. v. 17. 2. Tim. 3. v. 10. seqq. Tit. 3. v. 10. 2 Epist.
Joh. v. 10. seqq. (2.) Patribus, ut Irenæo, lib. 3. c. 3. Cypriano l. 1. Epist. 3.
Athanasio in vita Antonii, Augustino in Epist. 62. Leone sermon. 18. Iam
igitur (verba sunt Bellarmini) si tantoperè vitanda sunt colloquia hæ-
reticorum, quanto magis libri? Nam oratio in libris scripta est magis
composita & artificii plena, quam quæ in colloquiis usurpatur. Resp.
Non colloquia, sed crebra eorum institutio, improbat, quæ habet
maximam sibi adjunctam temeritatem, & fit animo non co-
gnoscendi & detestandi hæreses, sed approbandi & delecta-
tionem quærendi. Quo modo non simpliciter lectio libro-
rum hæreticorum improbat, sed crebra illa & curiosa. Quare
ut vitia malorum & consortia pravorum hominum maximè vi-
tare possimus, etiamsi non auferantur; sic non minus vitare
possimus libros hæreticorum, licet non comburantur. Hæc
de theor. X.

D 3

THEO

Quomodo sit
conversandū
cūm hereticis
notoriis.

*Cum hereticis notoriis conversandum, ut errores eorum
corrigamus, non addiscamus.*

Docent suo
exemplo.
1. Christus.

2. Iohannes
Apost.

Qui conversa-
tione sua qua
siverunt con-
versionem.

Est autē con-
versatio du-
plex

1. Politica.
2. Spiritualis.

In theor. nostro 2. diximus, quinam sint verè heretici, nempe qui unum vel aliquos articulos fidei oppugnant, & non sine aliquo Ecclesiæ offendiculo. Hos ipsos dicimus hoc loco hereticos notorios, non inquisitione Papistica sic dictos, de qua in theor. nostro 7. egimus, sed verbo DEI revelato convictos & superatos. De his porro & nunc quæritur cum in theor. 6. dictum sit, illos ferendos non auferendos esse, an & quomodo cum iis conversandum?

Exemplum nobis Christus præbuit & reliquit sua conversatione, quando errores Pseudoprophetarum correxit, reprehendit, ut videre licet ex historiis Evangelistarum. Et D. Gerhard. t. 6. p. 623. ex lib. 3. Irenæi contra hæreses cap. 3. pag. 171. exempla allegata habet, quæ itidem viam nobis hac in parte tenendam monstrant, ut, Iohan. Apostolus Ephesi cum lavatum iret, vidit intus in balneo Cerinthum, quo viso exsilit è balneo non lotus, dicens: timeo ne balneum concidat, cum intus sit homo Cerinthus, inimicus veritatis. Et ex eodem, aliquando occurrisse Polycarpo Marcionem & dixisse, cognosce nos, respondisse illum, cognosco te primogenitum Sathanæ. Tandem idem refert, de Barbaris, Germanis majoribus nostris, quod si quis annunciaffet ipsis ea quæ ab hæreticis inventa sunt, statim concludentes aures longo longius fugerint, ne audirent blasphemum colloquium. Igitur nota:

*Cum hereticis notoriis conversandum, ut errores corrigantur de-
vitentur quos tum in ipsis videmus, tum ab ipsis addiscere possemus, ju-
xta illud apocal. 18. v. 5. Exite de eâ popule mi, ne participes sitis delictorum
ejus, & de plagis ejus ne accipiatis.* Placet autem nobis hic di-
stinctionem servare, quam habet D. Dan. Cramerus in hæres. cap. 13.
pag. 49. Conversatio est duplex, vel Politica, vel Ecclesiastica. Illa
mundana & respicit pacem mundanam, contractus & commer-
cia, convictum & quæ sunt ejus generis. Hæc spiritualis & concer-
nit commercium fidei & doctrinæ.

Quam

Quam postremam iterum facimus duplicem, vel quod consistat in communicatione doctrinae cum haereticis, vel persona, juxta quam certa debent observari cautela:

1. Ne fiat temere.

2. Si omnino vitari nequeat, conjuncta sit cum detestatione ipsius haereseos tum internam, quae fit animo, tum externam quae fit certis signis & affectibus exterioribus.

Plures & alias cautelas habet D. Cram. d. l. p. 51. annotatas, quo lectorem remittimus, ne actum agere dicamur.

THEOREMA XII.

Fidem haereticis datam servandam esse nostrates Theologi contra Pontificios nonnullos affirmant.

In explicatione hujus quaestionis supra modum tumultuantur Ioh. Molanus & Martinus Becanus Iesuite. Dicunt enim a nostratibus ipsis affingi quasi haereticis fidem servandam non esse doceant, cum ipsi nil minus. Hinc se, suosque non tantum defendunt, verum etiam in nostrates impudentissima verba evomunt.

Ille Molanus (referente D. Praefide part. 3. Philos. sobr p. 572.) in lib. de fide haereticis servanda c. 25. haec eructat: Hi vero qui sine pace & sine foedere sunt audent de sua fidelitate homines aperte perfidissimi gloriari, & omnem perfidiae invidiam in nos retorquere, non tantum in privatos doctores, sed & in universitates, Concilia Oecumenica, & in ipsam Romanam Ecclesiam. Ab his nimirum omnibus perficisci dicunt illud dogma Haereticis fidem servandam non esse. Et quia magno odio, multaque impietate Ecclesiam Dei oppugnant ideo malitiose mentiri non erubescunt, hanc nostram esse doctrinam.

Hic, Becanus, testante ejus Theologia scholastica t. 2. tr. 1. cap. 16. q. 6. p. 256. seqq. haec effutit: Affirmant uno consensu omnes Catholici fidem haereticis esse servandam. Valde autem miror adversarios, qui etsi haec audiunt a nobis passim, tamen nos contrarium docere clamant &c. Sed quid agamus cum hisce hominibus? Similes sunt Pharisei qui, tamen si ex Christo audivissent; Reddite quae sunt Caesari, Caesari, & quae sunt Deo, Deo; tamen ausi sunt illi objicere palam coram Pilato; Hunc

inveni-

Consistens in
communica-
tione doctri-
nae vel perso-
nae,

Circa quam
obs. cautelas:

1.

2.

Th. 12.

Fides haereti-
cis data ser-
vanda, quod
negant Pap.

Licet id no-
lint Molanus.

Becanus.

invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari
Caesari. Plane sic agunt nobiscum adversarii. Privatim, publice, verbo,
calamo docemus & protestamur, fidem servandam esse hereticis, & ta-
men in contrariam sententiam, vel invitos trahere nos volunt.

qui dupliciter
peccat.

1. Univerſe Ro-
mana Eccle-
ſia fidem alle-
gando.

2. Noſtrates
criminis falſi
accuſando,
cum ipſe idem
cum aliis do-
ceat.

Peccat autem dupliciter 1. allegando univerſe Romanae Eccle-
ſiae ſententiam, quae non eſt: ſunt enim multi, qui contrarium do-
cent, de quibus jam jam. 2. Noſtrates accuſando, quaſi illis hanc
doctrinam affinxiffent, quae tamen non minus ejus, quam non-
nullorum aliorum eſt. Sic enim tom. 2. Opuſc. 1. c. 10. Prima, th. 3.
(teſtante Dn. Doct. Praefide d. l. p. 623.) docet. Libertas fidei & re-
ligionis, plane illicita eſt, & Chriſtiane doctrine contraria. Secunda,
th. 5. Haec ipſa libertas, de qua agimus Reipub. noxia & periculosa eſt,
non modo quoad ſalutem animarum (de qua re dubitari non poteſt) ſed
quoad pacem & tranquillitatem publicam, quae ſine unitate fidei conſer-
vari nequit. Tertia, th. 9. Libertas religionis, non debet praecipui, appro-
bati aut introduci ab ullo principe vel Magiſtratu Catholico; ſed omnibus
modis, quantum commodè fieri poteſt, impediri & proſtigari. Ex quibus
ſi colligas: pacta & promiſſa quae non ſunt licita & honeſta, non eſſe ſer-
vanda, eadem ſequetur conſuſio, quae eſt aliorum Pontificio-
rum.

Deinde, ſi etiam attendas quid Theol. ejus ſcholaeſt. d. l. ha-
beat, idem illum cum reliquis affirmare non negabis, ſic enim
verba habent: Si quis ſecularis Princeps det alicui heretico ſalvum con-
ductum, non debet obſtare, quo minus liceat Eccleſiaſtico Iudici ſuum offi-
cium exercere, hoc eſt, examinare reum, & ſecundum allegata & pro-
bata procedere. Hinc Ieſuitae Trevirenſes in lib. de concert. Eccleſ.
anno 1583. edit. p. 45. Sigismundum Romanorum Imperatorem, qui
fidem datam Joh. Huſſo non ſervaverat, ſic excuſant: Huſſus ſecu-
ritatem ab Imperatore Sigismundo petiit, Imperator obſignavit, ſed Chri-
ſtianus orbis (Concilii Conſtantiensis Patres) major Caesare, reſignavit.
Sed quid hoc eſt aliud dicere, quam vobis fidem damus, ſed
ſi eam videmus vergere & tendere in detrimentum Romanae
& Catholicae noſtrae Eccleſiae, per Chriſtianum orbem eam ite-
rum violamus, frangimus, quia ea eſt ſuperior poteſtas, nec legibus ac
pactis inferioris ligatur. O innocentem! o religioſum! o fidem,
egre-

nus homo! Sed quid reliqui? audiamus.

Manifestis & apertis verbis fidem hæreticis datam, non esse servandam docent (annotante Clarissimo D. Gerhard. t. 6. p. 867.)

Alii manifestius mentem aperiunt.

1. *Hofius Cardinalis*, qui in Epist. 197. 202. 210. ad Regem Poloniae sic scribit: *Quod licet Rex juramento obligatus sit Poloniae ordinibus se æquè defensurum Catholicos & Hæreticos, tamen nulla ratione ipsum teneri ad præstandum quod promisit.*

1. Hofius.

2. *Cunradus Brunus*, qui pacificationes cum diversæ religionis hominibus initas vult esse irritas, quia cum hujusmodi hæreticis Catholico nulla pax esse possit, ut quasi conteri non possint.

2. Cunradus Brunus.

3. *Simanca Episcopus Pacensis*, qui in instit. Cathol. c. 46. n. 52. nullo, nullo, nullo modo (inquit) fidem hæreticis servandam esse, etiamsi juramento firmata sit. Et sepe id monitum est (idem) necesse est tamen incessabiliter id iterare & tam diu non tacere, quam diu pacis istius nomen obtenditur. Ulterius: Ad pœnam hæreticorum hoc pertinet, quod fides illis data servanda non sit, non obstante juramento. Hæc Simanca.

3. Simanca Episcopus Pacensis.

Hic non moramur, quid Rosvveidus, Svvertius, Becanus & alii apud D. Præsidem d. l. p. 568. seqq. citati pro Simanca defendendo afferant, nobis sufficit quosdam dari & inveniri in Ecclesia Papistica, qui fidem datam violandam & frangendam esse statuunt, inter quos ille, nec postremus nec minimus. In finitos adhuc alios idem docentes cum hisce apud D. Præsid. p. 577. allegatos invenies, quorum hoc loco nomina nec recensere, nec verba repetere volui, cum nemo sit, qui hæc apud authorem ipsum legere nequeat.

quem defendunt Rosvveidus & alii, sed frustra.

Neq; est quod verbis tantum doceant, sed re ipsa & facto idem quoque approbant, manifestant. Sic *Vladislaus Ungariae Regi*, (narrante D. Gerhard, t. 6. p. 869) *Pontifex Eugenius & Cardinalis Iulianus* autores fuere ut decennii inducias cum Amurathe secundo Turcarum Rege initas bello eidem illato violaret, & fidem datam frangeret. Cum ad arma utrinque ventum esset, ac ferocibus animis pugnaretur, inclinari & in fugam verti acies Turcica cœpit. Hoc cum penè fractus desperatione Amurathes conspiciatus esset in Christianorum exercitu imaginem crucifixi JESU

Exempla violata à Pap. fidei.

1. de Vladislaus Ung. Reg. & Eugenio Pap.

E

alta

tui, qui jusjurandum nomine tuo datum, tam sceleratè violat. Mox commutata fortuna exercitus Christianorum cæsus est, Rex ipse in pugna equo dejectus, obtruncatus, & Julianus à latrunculis ejus in fuga necatus est. *Bonfinius lib. 6. de rebus Ungaricis c. 3. de Amurathe refert*, quod literas illas, quibus pax descripta erat, sub dio expandens his usus fuerit verbis. *En crucifixe literas populi tui, quibus fœdus pacis, quod perfide violant, mecum inierunt, quod si vere DEUS es, vindica illorum perfidiam.*

Dresserus in lib. de Pontificum per Germaniam insidiis recitata hæc historiâ subjungit: Documentum hac ratione statutum fuit omnibus posteris memorabile, quod velut è sublimi concionaretur, ac contra Pontificium Canonem testaretur, Reges ac Principes non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus datam fidem servare debere. Quorsum igitur, inquit, detestandum Pontificium illud evadet elogium, quod hæreticis fidem omnem datam abnegat.

2. de Leone X,
Paulo Balioni
fidem non servante.

Sic. *Leo X. Pontifex Romanus* memorante *Menochio* conf. 100. num. 192. & *Julio Ferreto* in tract. de Gaballi, & *Publicani* num. 95. quum salvum conductum concessisset *Paulo Balioni* Strenuissimo militum Duci, ut tutè ad eum accedere posset, contra datam fidem iussit ei caput amputari.

3. de Trans-
actionis Pas-
saviensis desi-
derata, etiam
interdū facta
violatione.

Sic. in *transactione Passaviensi* fides data est Evangelicis libertate & securitate religionis, quam tamen multi optârunt violatam.

4. de Legatis
Pap. ad Hun-
niadem fi-
dem esse fran-
gendam.

Et. *Patres Romani Cardinalem VIII. Iuliani Legatum* in *Pannoniam* miserunt, ut *Johanni Hunniadi* significaret fœdus cum *Turcis* contractum violandum esse ac bellum renovandum, quæ res, cum *Hunniadi* absurda videretur, & *Reipub.* exitiosa, tam diu restitit, quoad *Concilii Decreto* à sententia discedere coactus fuit, quod decretum eventus ostendit immortali DEO minimè placuisse, quum *Legatus* ille cum innumerabilibus *Christianorum* copiis cæsus est. *Levenclajus in pandectis Turcicis, Suscitabulum Principum* part. I. c. II. p. 112.

5. de data Hus-
so & Hiero-

Tandem & *Husso* ac *Hieronymo Pragensi* salvus conductus ab *Imperatore Sigismundo* fuit datus, nec servatus. Combusti enim sunt.

fatis prolixè tractavit D. Dan. Cram. in hæres. c. 4. p. 54.

Nimis autem & frustrà se macerat ac torquet Becanus d. l. p. 256. in defendendo Concilio Constantiensi, quod fidem Hussi & Hieronymo Pragensi datam non violarint.

gensi fide non servata.

Sed attendat, quid *Tiberius Decianus* lib. 5. tract. crim. c. 20. quod contra n. 55. hac de re scribat: *Licet vulgatum sit, (inquit,) fidem etiam hosti servandam; attamen id omnium consensu fallit in hæretico, quia illi etiam fides data servanda non est, quod Constantiense Concilium observavit, dum Ioh. Hussi & Hieronymum Pragensem hæresiarchas contra fidem datam damnarunt, & igni damnatos concremarunt, ut refert Salomonius in lib. 2. §. ex actis, deinde ff. de orig. juris. Ubi nota 1. Consensum omnium Papistarum, Deinde idem & Concilium Constantiense contra fidem datam Hussi & Hieronymo Pragensi observasse.*

Idem affirmat *Petrus Placa* lib. 1. Epit. delict. c. 37. in fine, *hereticos vocatos in Concilio Constantiense sub salvo conductu contra datam fidem necatos fuisse. Fugam duntaxat quærit Becanus, sed via ei ubique est interclusa.*

Petro Placa.

Saniores autem Theologi longè aliter hac de re sentiunt & quæstionem istam explicant. Dicunt autem quod fides etiam manifeste hæretico data, inviolabiliter servanda sit, uti sunt ex Papiculis Heribertus Rosveidus, qui in dissertatione de fide hæreticis servanda c. 19. p. 215. ex receptissima Doctorum sententia habere se hoc intendit. Robertus Svertius, qui in eadem materia sect. 1. p. 15. sic sentit. Ioh. Molanus qui lib. 1. c. 25. & c. 26. non minus docet. Hermes Letmatius Theologus Parisiensis lib. 2. de instaur. relig. c. 14.

Contra fidem servandam docent nonnulli Pontificii.

Ex nostris. Doct. Gerhard. t. 6. p. 868. qui opponit fidei ac fœderum fractoribus. 1. Jus divinum. 2. Jus gentium. 3. Infelicem fidei fractæ exitum. 4. Contraria probatæ fidei exempla. 5. Rationem manifestam. Et denique. 6. Legis, quæ fidem hæretico datam frangi permittat, defectum. Dan. Cramerus in proleg. hæres. c. 6. p. 52.

nostrates Theologi.

Ex Philosophis. Justus Lipsius lib. 2. Polit. c. 14. Et Cicero, qui lib. 7. offic. scribit: Fides est dictorum conventorumq; constantia. Hac de Theor. XII. Quod autem prolixiores quam par erat fuimus, factum, quia nonnullos scriptores Pontificiorum

Philosophi.

Etum negare audeant, verum etiam à nostratibus hanc ipsis sententiam falsò attributam dicant. Igitur ut nostrates à mendacii culpa liberaremus prædictos hosce autores præmittere, illorumq; mentem seu verba annectere voluimus, quo sic melius os illis occluderetur, & veritas omnibus ac singulis manifestaretur. Nunc ad reliqua.

Theor. 13.

THEOREMA XIII.

Heretici admittendi ad salutis media, licet id negant Cathari & Novitiani, qui refutantur

Ecclesia hereticos resipiscentes à communicatione eorum mediocorum, quæ ad salutem faciunt, arcere non debet.

1. Dictis.

Exemplis Petri post lapsu recepti, & Christi recipientis. Itemq; Ecclesia.

Duo in hæreticis spectanda: 1. Ipsa hæresis. 2. Natura humana. Hæresin debemus odisse & persequi, non autem naturam humanam. Cathari autem & Novitiani post baptismum lapsis, etiam pœnitentiam agentibus veniam negabant, & receptione in Ecclesiam indignos judicabant, ut refert Clarissimus D. Dan. Cramerus in hæres. clafs. 2. cap. 1. pag. 113. Quod tamen contra 1. Expressam obtestationem DEI, Ezech 18. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. 2. Contra apertum testimonium Pauli, 1. Tim. 2. v. 4. DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire. 3. Contra exemplum Petri, in gratiam post lapsum recepti, Johan. 21. v. 15. 4. Contra factum DOMINI ovem perditam humeris reportantis, Luc. 15. v. 5. Ast Orthodoxa Ecclesia gremium suum redeuntibus nunquam claudit, sed omnibus, etiam apertè blasphemis, resipiscentibus, Ecclesiæ communionem & salutem obfert. Exempli loco potest esse D. Augustinus, Berengarius, Samaritani, Apostolus Paulus, qui singuli resipiscentes ab Ecclesia recepti non exclusi & remoti sunt, de quo vide Theor. nostrum 6. ubi de illis fusiùs. Rectè Chrysostomus: Millies pœnitentiam agens, millies Ecclesiam ingreditur. Stat ergò sententia: Omnes heretici, sive relapsi sint, sive non sint, si resipiscant, recipiuntur benigne ab Ecclesia. Sic sentit Becanus in theol. scholast. t. 2. t. 1. cap. 15. p. 236. & nostrates

oum

dem efficiat, dum receptos è medio tollendos esse suadet.

THEOREMA XIV.

Th. 14.

Argumenta hereticorum evidenter refutari posse, contra Durandum, & si qui sint alii, affirmatur.

Argumenta hereticorum evidenter refutari possunt

Argumentum quid sit, non opus hîc est dicere, sufficit in Logicis dici. Id autem probandum incumbit: *num evidenter argumenta hereticorum refutari possint?*

Evidenter autem refutari, inquit Dn. D. Præset in part 3. Philosoph. Sobr. cap. 2. q. 3. p. 210. est ita refutari, ut & Opponens & Respondens non possit non videre (modo rectè percipiat) argumentum benè solutum, & quod in quæstione erat, rectè decidum esse. Sive sint hæretici, sive alterius cujusdam, nihil refert, optimè solvi possunt, licet non à quovis, ab eo tamen qui artem solvendi argumenta non ignorat. Neque illud negligendum: de evidentia solvendi argumentum non in forma, sed materia eaq; mystica vitiosum, quæri. Hoc posse negat Durandus in proleg. 1. sent. q. 1. num. 42. ut annotat Dn. D. Præses d. l. quia, inquit Durandus, prius ostendendum est, propositionem illam universalem, quæ opponitur mysterio, esse falsam, quod fieri nequeat, siquidem singularis illa quæ opponitur, sit ex mysterio deprompta, & illa de qua controvertitur ab adversario tanquam rationi contraria, rejiciatur. Sed sat sufficienter ei respondet Dn. D. Præses: Objectiones infidelium & hæreticorum esse vel petitas ex scriptura, vel ex ratione.

quid sit evidenter refutare, explicatur.

Negat thesîs Durandus.

qui refutatur

Si ex scriptura? cur non evidenter solvi possint, cum verbum DEI sibi ipsi non contrarietur, sed potius adversarius dictum illud mysterio fidei oppositum, in alienum sensum detorqueat, & id ex eo colligat, quod inconsequens.

Sive enim ex scriptura

Si ex ratione? omninò etiam dilucidè solvi poterint; dum enim principia ejus respicimus, quæ vera, à DEO communicata,

sive ex ratione deprompta



sunt argu-
menta, opti-
mè resolvun-
tur.

Athanasius.

Nazianzenus

Theor. 15.

Theologia ha-
bitus totus per
heresin non
amittitur.

Contrarium
probat Gre-
gorius de Va-
lencia ex
Dionysio.

Cujus tamen
mentem mi-
nus rectè asse-
quitur.

revelatis. Alias hoc absurdum sequeretur: DEUM sibiipsum esse con-
trarium, & aliud loqui in natura, aliud in scriptura, quòd ab ipso om-
nis boni fonte, & veritatis fundo absit quam longissimè. Atten-
damus potius ad illud Athanasii dicentis: qui, tametsi eadem dictio-
nes de DEO & hominibus in sacris scripturis habeantur, hominum tamen
perspicacium est, ut Paulus 1. ad Timoth. precipit, lectioni attendere, ut
rem cum iudicio discernant, & pro naturâ rerum, vocabula accipiant, sine
intellectus confusione, ne, quæ DEI sunt, hominum more intelligant, id
enim est vinum aquâ miscere, & alienum ignem altari inferre. Item ad
illud Nazianzeni: Valdè profectò turpe est, sed non turpe solum, sed etiam
admodum stultum & inane, ex humilibus ac terrenis rebus superarum si-
mulacrum sumere, quodq; Esaias ait; est viventia in mortuis querere.

THEOREMA XV.

Per heresin totus Theologiae habitus non amittitur.

Nihil esse tam leve quod suos non habeat defensores, con-
stat è re præsentis, quæ licet luce meridiana sit clarior: quod errante
aliquo in uno articulo fidei non statim amittat notitiam vel assensum habi-
tualem cæterorum articulorum: tamen non desunt, qui hoc ipsum
affirmare, & nescio qui demonstrare velint. Gregorius de Valentia,
(referente Dn. Doct. Præsid. part. 3. Philosoph. Sobr. cap. 2. q. 2.
pag. 206.) ex Dionysio negat, Theologum esse posse, qui non sit fidelis. Et
addit: Quare dicimus restare tantum in tali heretico quandam Theo-
logiæ similitudinem, quatenus cum opinione & fide acquisita solum de
conclusionibus theologicis more Theologorum ratiocinatur. Revera autem
caret talis certitudine & habitu Theologiæ, hoc ipso quod excidit à fide, quæ
format Theologiam tanquam habitus per se principiorum illius. Quod au-
tem talis videatur æquè facile ac prius ratiocinari de rebus theologicis, cau-
sa est, non habitus theologiæ perseverans, sed consuetudo pristina in eodem
genere ratiocinandi.

Resp. Dionysii mentem non esse, nec ejus verba hoc in-
nuere, quod ille educit; eum nempe, qui errat circa unum ar-
ticulum, propterea Theologum dici non posse: sed, qui caret
fide in totum, carere etiam Theologiæ habitu in totum,
& qui

de qui caret hac ex parte, caret etiam Theologia in hac parte. Ex unius enim articuli quoad fidem sublata veritate, non sequitur etiam sublatio reliquorum, quin sic nullum esset discrimen inter hæresin & Apostasiam, si parte habitus sublata totus destrueretur. Ergo per hæresin cum Dn. Doct. Præfide l. d. dico, amitti quidem *fidem salvificam*, sine qua nemo salvari potest, non autem *fidem dogmaticam*, cum probari possit, errantes in uno retinuisse & propagasse assensum fidemq; in cæteris. *Exempli loco sint D. Huberus*, qui in articulo de Electione docuit, Electionem esse universalem, in reliquis autem idem cum nostratibus professus est & propugnavit. Sic *Matthias Flacius* Theologus alioquin Magnus, suo tempore in articulo de Peccato originis id ipsam hominis substantiam esse sensit, ex quo sequitur corruptio reliquorum omnium, quos tamen non minus quam reliqui incorruptè tradidit.

Thesis probatur Exemplis.

Quod autem attinet mentem *Gregorii de Valentia*, qui eam, quæ reliqua est, scientiam oriri dicit ex consuetudine pristina, non autem habitu perseverante, iterum dico cum Dn. Doct. Præfide ex l. d. Nullas eum hac in parte rationes attulisse; è contra facile probari; *amissio habitus*, amitti quoque ejus consuetudinem, quæ est ejus virtus & simul cum eo expirat. Satis.

Valentia scientiam reliquam ex consuetudine oriri, falso asserit.

Te **DEUM** veritatis in **CHRISTI** nomine invocamus, ne *verbum veritatis* auferas ab ore ac cordibus nostris, sed potius illud in iisdem accendas, quo te rectè agnoscere, ritè colere, ac tandem in æternâ vitâ, æternùm laudare & celebrare possimus, dicentes: **GLORIA DEO PATRI** qui fecit nos! **GLORIA DEO FILIO** qui redemit nos! **GLORIA DEO SPIRITUI SANCTO** qui sanctificavit nos! **Cui etiam GRATIARUM ACTIO** nunc & in sempiterna secula,

AMEN.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Faint, illegible text, possibly a signature or a specific heading.

17



05 A 717

ULB Halle
003 767 37X


3



717
05







IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS GE-
neratim consideratis

DISPUTATIO X.

De

HÆRETICISMO
five HÆRETICIS IN
GENERE.

Quam

ALTISSIMO ADSPIRANTE

sub


PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Th. Doct. & Profefs. publ.

Publico Examine proponit

MATTHIAS RELANDT
Rigà-Livonos.

Ad diem 7. Dec. horis pomeridianis,
In Auditorio minori.



WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M DC XXV.